



Universitätsbibliothek Paderborn

V. P. Gasparis Druzbicki, Societatis Jesu, Opera Omnia Ascetica

Aucta Duobus Opusculis De Effectibus, Fructu, Et Applicatione Sanctissimi
Missæ Sacrificii, Et De Sublimitate Perfectionis Religiosæ. Catalogum
Tractatum Asceticorum Omnium Vicina Post Dedicacionem Pagina
Indicabit

V. P. Gasparis Druzbicki, Societatis Jesu, Jesus Passus Per Centuriam
Modorum Meditandi passionem Salvatoris nostri illustratus; cui
accesserunt Meditationes In Passionem Domini XLVI. - Juxta numerum
dierum Quadragesimæ

Druzbicki, Kaspar

Ingolstadii, 1732

VD18 90066405

59. Considerando Passionem Christi, per Collationem Nati & Passi. Item
Adulti & Passi, Item Gloriosi & Passi Christi.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45427

absoluta. Ut non sit necesse dicere. Dum ad-
huc ordiret, succidit me. Sed potius dicendum

Job. 5. 26. sit de nobis, *Ingredieris in abundantia sepulchrum,*
Matt. 24. 13. sicut infertur *acervus tritici in tempore suo. Alio-*
qui va pregnantibus & nutrientibus in diebus illis.

Optimum autem & plane beatum est: quando
Job. 11. 17. quasi *meridianus fulgor consurget tibi ad vesperam,*
& *cum te consumptum putaveris, orieris ut Lucifer.*

Denique quis portus magis securus, qua
statio magis fida? quam in manus Aeterni Dei,
aeterni Patris commendare, & tradere Spiritum?
sed Spiritum Christi, Spiritum simillimum Spiritu
tui Christi, Spiritum purificatum, vestitum, orna-
tum, dotatum, & gratiis, & meritis, & preroga-
tivis, Spiritus Christi, ipso demum Spiritus

Rom. 8. 9. Christi. Sicut enim *qui Spiritum Christi non ha-*
bet, hic non est ejus, neque Patris ejus; ita vi-
cissim qui Spiritum Christi habet, in ejus corde

ad Rom. 5. 5. *diffusa est Charitas Christi per Spiritum Sanctum*
Christi, hic est omnino ejus, & Patris ejus, &
Spiritus Sancti ejus.

MODUS LIX.

Quinquagesimus nonus Modus Domini Pas-
sionem meditandi esse potest, per colla-
tionem quandam Nativitatis Christi, cum Pas-
sione ejusdem vel potius nati & Infantuli Christi,
cum illo ipso patiente, crucifixo.

Derivo Modum istum devotissima teneri-
tudinis, tenerrimaeque devotionis plenum, ex
Beata Brigida: quae in suis revelationibus affir-
mat modum hunc, Beatissimae Dei nostri Matri
fuisse usitatum jam tunc, quando adhuc recens
nati

nati Filii sui tenella membra fovebat, fasciisque alligabat, & lacte virgineo nutriebat. Verba Sanctæ Brigidæ sunt hæc.

Verissimè credendum est, quòd *Quando Virgo Dei Filium* (postquam eum peperit) primo, suis manibus tractare cœpit, subitò ejus menti, occurrit, qualiter ipse Prophetarum scripturas adimplere debebat: *quando autem* ipsum pannis involvebat, tunc in corde suo considerabat, quàm acutis flagris, totum ipsius corpus lacerandum erat. *Recolligens* quoque Virgo sui Filii parvuli manus & pedes, leniter in fascia, recordabatur, quam duriter ferreis clavis debebant perforari in Cruce.

Aspiciens faciem ejusdem Filii sui speciosi, formâ præ filiis hominum, meditabatur quàm, irreverenter ipsam, impiorum labia sputo debebant maculare. *Revolvebat* etiam sæpius in animo, quantis opprobriis, & contumeliis, ejus benedictæ aures replerentur. *Modò* considerans qualiter ipsius oculi, ex proprii cruoris influxu caligarent, *Modò* qualiter ipsius ori fel aceto admistum infunderetur. *Modò* ad mentem reducens, qualiter ipsius brachia funibus ligari oportebat, nervi etiam, & venæ, omnes compagine, quomodo in Cruce immisericorditer debebant extendi, præcordia ejus in ipsa morte contrahi, totumque ipsius corpus gloriosum, qualiter intus, & foris, omni amaritudine, & angustia, usque ad mortem oportebat cruciari. Sciebat enim Virgo, quòd exhalato in Cruce Spiritu, ipsius Filii latus lancea acutissima perforaret, & ipsius cor per medium transfigeret. Unde sicut omnium matrum erat lætissima,

V.P. Druzb. Op. VIII.

Aa

quan-

Dr
Bick
er: as
om
V
8

quando Dei Filium jam de se natum videbat; ita etiam omnium matrum erat mœstissima ex ipsius amarissimæ Passionis præscientia.,,]

Usque huc verba sunt Sanctæ Brigidæ, ex quibus verbis (ut alia quæ possent utiliter deduci omittam) derivo Modum Passionem Christi Domini meditandi, eum omnino ipsum, quem hæc Sancta affirmat, fuisse usitatum Beatissimæ Matri jam inde à tempore nati in mundum Christi. Potest enim quisque hoc ipso modo, tenellum Christum atque Infantem veluti contemplans, ex ordine, tam exteriora corporis, quam interiora Animæ, atque Personæ illius, eademque insimul in adulto jam & Patiente, & Crucifixo inspiciens, uberrimam eamque suavissimam tenerimorum affectuum, ac simul documentorum materiem & farraginem sibi desumere, animamque suam utilissimè occupando pascere. Quod ipsum potest quisque facere contuendo Christum jam Adultum, jam speciosum formâ præ filiis hominum, jam apud omnes ob verba gratiæ procedentia ex ore ejus admirabilem, jam miraculis coruscantem, jam turbas auditorum post se trahentem, simul etiam contemplari agonisantem in horto, traditum à discipulo, captum à turbis, derelictum à suis, de doctrina, & discipulis examinatum, reum mortis judicatum, gentibus traditum, consputum, flagellatum, illusum, morti crucis addictum, crucifixum, denique & in Cruce mortuum. Insuper id ipsum quisque præstare potest, si Christum Dominum ex una parte ab Horto Olivetano ad usque sepulchrum in altero horto, circumducatur meditatione; ex altera autem parte, eundem ipsi sibi ut Patienti,

*Vide supra
Modum 26.
35.54.*

Patienti, seu Passio talia, comparet & componat
 Gloriosum, Regnantem, Beatum, Triumphan-
 temque in cœlis. Ita ut illum cogitet quis,
 hic quidem in terra supplicem Patri, prostratum
 in faciem suam, agonisantem, & præ agonia
 sudore sanguineo madentem, animæ tristitiâ
 ad mortem usque pressum, timentem, tœ-
 dentem; at verò, nunc in Cœlo jam in
 dextra Patris confidentem, Angelos lætifi-
 cantem, totique Cœlo cœlestes delicias, divitias
 & gloriae ministrantem. Pari ratione, licebit
 Christum contemplari; hic quidem à Juda pro-
 ditum osculo proditorio, captum à nefariis li-
 ditoribus, absque omni reverentia raptatum &
 tractum, ad subsellia Annæ, Caiphæ, colaphis
 alapisque cæsum, velatum oculis, consputum
 in facie, blasphematum multis modis blasphe-
 miæ, & simul mortis reum pronuntiatum, ne-
 gatam à Petro, totâque illâ nocte pessimè habi-
 tum. Eundem è contra nunc Dominum univer-
 sorum, Dominum compeditos solventem, Do-
 minum gloriae, ab Angelorum plus quàm duo-
 decim legionibus honoratum, toto Cœlesti Re-
 gno beatum, & gloriosum. Oculis suis uni-
 versam Aulam Regiamque Cœlorum collustran-
 tem, & lætificantem, & talem omnino in quem
 desiderant perenniter Angeli, & Homines beati
 prospicere, ducentem suos omnes, ad vitæ fon-
 tes aquarum, præcinctum quoque & ministran-
 tem amicis suis, & universæ Ecclesiæ Beatorum.
 Licebit quoque illum Christum, qui stetit coram
 Pilato, & Herodè, reus, accusatus, contemptus,
 & despectus, illusus & irrisus, nudus, & flagel-
 latus, coronatus spinis, & consputus in facie,

Aa 2

atque

Dr
 Bick
 er: as
 om us
 V
 5
 8

atque cæsus, & arundine percussus caput, ve-
 stemque coccineam circumamictus, contem-
 plari nunc in Cælo, vivorum & mortuorum Ju-
 dicem, omneque judicium in manu habentem,
 atque adeò exercentem, coram quo curvantur
 omnes qui portant orbem, cui flectitur & cur-
 vatur omne genu, cui scabellum sunt pedum
 suorum omnes inimici ejus terram lingentes;
 qui gloriâ & honore coronatus est æternaliter,
 qui in capite suo habet diademata multa, & in
 famore suo habet scriptum. Rex Regum, & Do-
 minus Dominantium, quem viginti quatuor
 seniores adorant prostrati in facies suas, & co-
 ronas capitibus suis detractas, sub pedes ejus
 prosternunt. Licebit quoque contemplari Chri-
 stum in terris quidem Barabbæ compositum &
 postpositum, ad Crucem universi populi suffra-
 gio postulatum, Pilati decreto addictum, Cruce
 onustum, incedentem ad supplicii locum, felle &
 aceto tractatum, nudum, crucifixum, de Cruce
 pendulum, inter latrones medium constitutum,
 mordacissimè derisum & illusum, ab universa
 creatura planctum & desletum, inter extremos
 cruciatus mortis, pro hostibus Patri supplicem,
 Spiritum Patri commendantem & tradentem, at-
 que demum mortuum; eundem verò in cælis
 super Angelorum omnes ordines evectum, &
 excelsiorem cælis factum, Primogenitum omnis
 creaturæ, ejusdemq; Factorem & Dominum pro-
 nuntiatum, Mediatorem Dei, & Hominum, Cæle-
 stibus terrena, Angelis Homines consociantem &
 utraq; unum facientem, cælis terrisq; jura dicen-
 tem, & quæ in cælis, & quæ in terris, & quæ in in-
 feris gubernantem, Electorum Dei, redempto-
 rumque

S

op

J

V

rumque suorum salutem efficaciter, potenter, suaviterque procurantem. Ecclesiæ militanti æque ac triumphanti Dominantem, vitamque æternam tam Gratiæ, quam Gloriæ subministrantem. Vitæ & Mortis, Cœlorum & inferorum clavem habentem. Denique cum Patre Æterno, & cum Spiritu Sancto, unum in Trinitate, Trinum in unitate Deum, Solum, Potentem, Beatum, Immortalem, Invisibilem, Æternum, Sanctum, Gloriosum in sæcula sæculorum.

Ex his porrò collationibus licebit unicuique devoto meditati procedere nunc in affectus indicibilis compassionis, commiserationisque; nunc in contritionis, erubescentiæ, doloris, nunc in admirationis, gratiarum actionis, humiliationis, nunc in desiderii, amoris, imitationis, nunc verò in exultationis, & lætitiæ, in honoris & reverentiæ, in gratulationis & gaudii, in dilectionis & desiderii, in spei & fiduciæ, in resignationis & subjectionis. In unionis & transformationis &c. &c. prout Spiritus Sanctus dare voluerit affici unicuique, & prout vasa idonea invenerit, unctioneque suâ docuerit.

MODUS LX.

Sexagesimus Modus Passionem Domini nostri meditandi esse potest; assumere & attendere Passionis Christi vel omnes, vel complures, vel aliquas, & nunc has, nunc illas partes, itemque ipsius Domini aut vulnera, aut opprobria, aut dolores, aut virtutes, aut opera; tanquam loquentia, immò (ut scriptura loqui solet) clamantia, sive ad Patrem Æternum, sive ad Peccatores,

A a 3

tores,

Dr
Bick
er: 280
Tom 15
V
5 8